


**De Claudiani
cod. Veronae
nuper reperto**

Ludwig Jeep



Disputationem de codice Veronensi satis memorabili editurus hoc libello, qui F. A. ECKSTEINII auspiciis tesseræ hospitalis instar viris doctissimis offertur his ipsis diebus ex omnibus Germaniæ regionibus clarissimam urbem nostram aduentibus, facere non possum quin præfationis loco pauca præmittam. Impellit enim me animus, ut publice quam habeo gratiam referam cum omnino administratiopis Italiæ liberalitati, qua ut aliis semper qui studiorum criticorum causa ex Germania in Italiam concurrerunt, sic mihi eius terræ bibliothecas perscrutanti, quaecumque studia mea adiuverant, ubique suppeditabantur, tum Venerabili Praelato de Giuliani doctissimo bibliothecæ Veronensis præfecto. Qui cum audivisset in Italiam me venisse Claudiani codices mss. pervestigaturum, summa cum comitate mihi obtulit illud, de quo infra egimus, Claudiani fragmentum omnium vetustissimum, a nemine dum collatum, simulque opportunitatem præbuit eius libri quam potuit accuratissime excutiendi. Sed aliud accedit. Studiis enim in Italia de Claudiano ad finem ductis benigna fortuna collega factus sum collegi Sancti Thomæ, cui ante unum circiter sæculum ille præfuit, qui post Nicolaum Heinsium cum clarissimus fuit Claudiani emendator, tum omnium qui umquam vixerunt longe optimus huius poetæ interpret, amplissimum decus philologorum. Quare quæ scripsi, non tantum volo salutationem haberi eorum, qui læto hoc tempore huc convenerunt, sed etiam, nisi nefas est parvulas quæ secuntur commentationes gravissimi illustrissimique philologi nomine exornare, sacra esse

DIS · MANIBVS
IOANNIS · MATHIAE · GESNERI

Caput I.

Codex Veronensis n. CLXIII formæ minoris oblongæ, in bibliotheca capitulari eius urbis servatus, initio sæculi noni scriptus est undevicens vel duodevicens versibus per singulas paginas distributis. Cuius venerabilis vetustatis causa valde deplorandum est, quod ille nunc misere mutilatus habetur nec minus a fronte quam a fine maxime decurtatus; deinde quod ipsæ litteræ temporum iniuria ab initio potissimum ita evanuerunt ut, cum ammonii hydrosulphurati aliisque medicamenti usus non concederetur, summa oculorum contentione vix a me dignoscerentur. Nunc quidem quattuor tantum fasciculis codex ille constat octona folia complectentibus, et præterea tribus foliis singularibus, quæ priorem particulam quinti fasciculi fuisse veri simile est. Incipit autem primus ex illis fasciculus a versu 34 Claudiani idyllii quod Magnes inscribitur, a Gesnero, cuius numeris infra

semper utar, numero XLVIII signatum. Secuntur carmina n. XLV, L, LI, LH, XXXIX, LXXIV, LXXVII, XLVI, C, LXVIII, XLIII, XLI, XLII, XCV, XLIV, carmen de Phoenice quod vulgo Lactantio tribuitur, LXXXI, LXXVIII, XCII, XCI, LXXXIV, LXXXIX, LXXXII, LXXXIX, XC, LXXX, XL, XXXII, laudes Herculis, LXXII, LXXIII, LXX, LV; deinde disticha Catonis hac inscriptione praemissa: INCP. DICTA MARCI CATONIS AD FILIVM SVVM, quae quidem cum sub finem codicis, quem mutilatum esse diximus, legantur, valde truncata sunt.

Mitto nunc de auctoritate disputare, quam sua sponte apparet ei codici tribuendam esse, quo vetustior inter Claudiani libros mss. alius nullus exstet; qui enim adhuc pro antiquissimo habebatur, Vaticanus n. 2809 — ad quem praeter excerpta Frisingensia¹⁾ in codice Monacensi n. 6292 exstantia iam accedit alter ille eiusdem aetatis Bruxellensis n. 5381 a me nuper primum in lucem prolatus et excussus (v. F. Ritschelii Acta soc. phil. Lips. I p. 379) — saeculo undecimo scriptus est. Liceat igitur nunc primum de quattuor aliis rebus agere, quae cum novo codici Veronensi debeantur, sat gravis momenti sunt.

Inter priora enim huius libri carmina reperimus etiam carmen n. C (880 in Riesii Anthologia), quod in editionibus inscribitur 'In Sirenas'. Protulit illud cum 'laude Christi, miraculis Christi, laudibus Herculis' primus Ioannes Camers in Claudiani editione. Neque vero postea cuiquam ante me contigit, ut quamvis multis bibliothecis, a N. Heinsio potissimum, pervestigatis ullum illius carminis manu scriptum exemplar reperiretur. Itaque etiam recentissimus editor Alexander Riese in Anthologia non potuit illud nisi in eorum numero referre, 'quae libri tantum typis descripti exhibent'. Codex autem Veronensis hoc carmen non modo tradit saeculi noni manu exaratum, sed inscriptionem quoque addit ab eadem manu profectam: EIVSDEM (h. e. Claudiani) IN SIRENAS. Quare cum et metrum optime currat, neque sententia totius carminis Claudiani Musa esse indigna videatur, siquidem cetera quae sub Claudiani nomine circumferuntur carmina minora praeter christiana pro spuris haberi nequeunt, ne illi quidem in Sirenas versus ullo ut puto iure a Claudiano abiudicabuntur.

Non minoris momenti, eis potissimum qui in poetarum latinorum emendatione versantur, illud est, quod aetas codicis Veronensis integro saeculo superat librum Vossianum Q. 33, qui adhuc veterrimus fons habitus est eorum, qui Lactantii de Phoenice carmen ad nos prodidere. Nec tamen hoc quidem placet nunc pluribus persequi, cum amicus quidam, omnibus quibus opus est codicum mss. subsidiis affatim instructus, hoc munere mox accuratius, quam hic fieri possit, functurus sit. — Paulo autem copiosius hic liceat tertiam laudem Veronensis libri, eamque etiam insigniorem, illustrare.

Est enim ille solus, qui praeclarissimum de laudibus Herculis carmen contineat, quod post Camerti editionem, vetustis libris mss. se usum affirmantis (cf. Genneri proleg. p. XXVII) usque ad hunc diem in nullo umquam codice a quoquam repertum est. Itaque

1) De his excerptis, quae quatenus ad Tibullum pertinent, recenti memoria saepius edita sunt, mox accuratius alio loco agam.

cum nunc demum certum idque vetustissimum emendationis fundamentum nacti simus, tamen haud scio an etiam gravius hoc sit, quod olim a Camerte prolata inscriptio '*Claudianae laudes Herculis*' iam prorsus confirmatur: est enim etiam in libro Veroneusi manu prima adscriptum eiusdem (h. e. Claudiani) *laus herculis*.

Iam vero cum etiam versus huius carminis tam commode et eleganter fluant, ut versatissimus in hoc genere Lucianus Muellnerus in libro quem 'de re metrica' scripsit p. 57 illos vel antiquiore quam Claudianae aetate dignos indicet, profecto non est cur huius ipsius poetae carmen esse negemus: quod quidem viri docti haud dubie propterea tantum concedere dubitarunt, quod praeter ignotissimam Camertis editionem nemo unquam manu scriptum codicem vilisset. Vana igitur Wernsdorffii hariolatio habenda est carmen de Hercule Nemesiano tribuentis: ut enim aliarum, quas ille sibi finxit, causarum infirmitatem omittam, nunc saltem, quantumvis veteris elegantiae metra spirent, antiquiori aetati certissimus testis codex Veronensis repugnat, cui criticas de hoc poetae quaestiones omnes ut firmissimo fundamento superstrui necesse est. Nec vero eis adstipulandum est, quae Baehrensius nuper in satura critica, quae inserta est Fleckeiseni Annalibus a. 1872 p. 53 protulit, ut carminis illius scriptorem fuisse aliquem aequalem Claudiani, quamquam aetate paulo minorem, demonstraret, qui quidem praefationem istam, quae in editionibus male praeponebatur alteri de raptu Proserpinae libro (cf. Acta soc. phil. Lips. I p. 359), ante oculos habuisset. Nam tantum abest ut poeta carminis de laude Herculis in enumerandis rebus ab Hercule gestis eundem ordinem sequatur, quem Claudianus in praefatione illa¹⁾ instituit, ut contra post partus narrationem inde a versu 75 ab interfecto leone Nemeaeo incipiat, cum in praefatione taurus Cretensis et Cerberus iam praecesserint nec minus in transcurso v. 12 equi Diomedis commemorati sint. Ergo poetam laudis Herculis non est veri simile Claudiani praefatione usum esse. Quod autem Baehrensius contendit Claudiani imitationem in eo conspici, quod et in carmine de laude Herculis v. 67 et in Claudiani de IV cons. Hon. v. 337 flumina frigore densata '*haerere*' dicuntur, de eo vereor ut viro docto quisquam adsentiat, ut quod solo casu evenisse possit. Multo profecto plus valet, quod totum carmen ubique Claudiani indolem spirat. Eandem ante oculos habemus tenuem singularum rerum enumerationem istam, quam Claudiani Gigan-

1) Praefatio Claudianea ubique redolet mythographorum latinorum graecorumque lectionem, qui duodecim illos clarissimos Herculis labores '*athla*' nomine inscriptos inducunt eisque ut '*parerga*' subiungunt quae praeterea heroi tribuuntur: id quod unumquemque vel leviter inspectae Westermanni, Staurenii, Bodii editiones docent. Etiam in praefatione nostra praecedunt maiores labores, secuntur parerga exceptis malis Hesperidum (v. 45 scribendum est cum codd. *te mazima Thetis*, cf. Acta soc. phil. Lips. I p. 364 et Heinsiana in Claudiani ed. Burn. ad h. l.). Mirum est, quod v. 40 Antaeus commemoratur, cuius interfectio pertinet ad parerga, Augiae vero stabula omittuntur. Quamquam enim novimus ex carmine quod exstat in codice Salmasiano (n. 12 apud Riesium) illam laborem posteriore tempore uberius tractatum esse (cf. Claud. in Ruf. I v. 284 sqq.), unde facile concludas tractatum esse ad ipsa athla, tamen veri persimile videtur in praefatione Claudianea unum distichon excidisse. Cui rei minime obstat, quod in Actis I p. 379 de folio diximus, in quo praefatio descripta erat in archetypo: nam pro 52 versibus habemus 54, qui si inscriptionem et subscriptionem addideres, etiam facilius quam illi 52 per binas paginas undecimicenas versibus constantes distribuuntur.

tomachia exhibet; eodem modo deorum eorumque qui olim vixerunt (cf. laud. Herc. v. 60 sqq.) res opponuntur rebus gestis eorum virorum qui a Claudiano celebrantur: cuius rationis in huius poetae carminibus innumerabilia fere exempla exstant (cf. Claud. in Ruf. I v. 278 sqq., d. IV cons. Hon. v. 149 alia). Denique quod Claudianus, quamquam multo largius alioque ordine, suas ipsius sententias tamquam exscribens eadem seu potius similia iterum in carmine de laude Herculis protulit, nihil miri habet, id quod unusquisque ita esse intellet, qui inspexerit argumenta carminum Claudiani de bello Gildonico et libri primi de laudibus Stilichonis v. 246 sqq., in quorum parte item eadem simili modo a poeta efferuntur. Ad quae omnia accedit, quod carmen de laudibus Herculis dubitari vix potest quin in archetypo Claudiani carminum exstiterit: nam quamquam credere licet maius illud de phoenice carmen, quod Lactantio tribuitur, ex alio atque Claudiano codice propter argumenti similitudinem in libro Veronensi additum esse a librario, id quod in tali genere, ut magnus recentiorum codicum mss. Italorum numerus dilucide docet, saepius factum est a posterioribus: omni tamen probabilitate caret librarium, quae sub Claudiani nomine in codice suo profert, non reperisse omnia in uno eodemque Claudiani libro ms. Quae quidem sententia ex aliorum cum Veronensi cognatione infra etiam magis probabitur.

Iidem autem etiam externa carminis ratione iudicari videtur. Constat illud nunc fragmentum esse versus 137 complectens, quod media in parte post versum 91 lacunam exhibet, ut post alios editores Riesius recte monuit. Valde tamen dubium est, num idem recte statuerit unum modo versum excidisse, cum e sententiarum conexu nihil appareat nisi omnino illic aliquid deesse, neque numerus versuum qui desint ulla cum confidentia certius definiri possit. Per se utrumque cogitari potest, aut unum versum excidisse aut plures. Rem tamen accuratius perpendentibus plures, fortasse quinque, versus excidisse multo veri similis videbitur, ut fragmentum carminis tale quale nunc exstat ita evaserit ut librarius quinque tantum codicis archetypi paginas describeret, quem undetrices versus in singulis paginis habuisse docuimus in Quaest. crit. p. 28 sqq. et in Actis I p. 378 sqq.), sive iste iam mutilatus erat, sive librarius temere folia evolvens finem carminis oculis praeteriit. Si enim ad illos qui supersunt versus 137 quinque addiderimus, qui post 91 librarii incuria exciderint, ac praeterea in-
 scriptionem quae trium versuum spatium complexa est (cf. Acta p. 379, 14), appareat fragmentum accuratissime distribui posse per quinque quas diximus archetypi paginas. Nec tamen totam istam ratiocinationem tamquam certam vel saltem veri persimilem in medium protulissem, nisi alia eaque certissima eiusdem rationis exempla praesto essent, sicut epithalamii Laurentii et clarissimum illud carminis de Aetna fragmentum: de quibus satis a me actum est locis supra scriptis. Simul autem sic facillime intellegitur, quomodo factum sit ut, postquam temporum iniuria archetypus magis magisque mutilatus est, eodem modo, quo duo quae diximus carmina in aliis quibusdam codicum classibus, quae non pendeant e Veronensi libro, exciderunt, carmen de laude Herculis in eisdem omnino omittetur. Hinc igitur magna cum probabilitate efficitur laudem Herculis ab antiquissimis temporibus sub Claudiani nomine esse circumlatam.

Quarto denique loco codex Veronensis propterea laude dignus est, quod etiam disticha Catonis praebet manu uno fere saeculo vetustiore exarata, quam qua Turicensis liber scriptus est, quem viri docti pro vetustissimo adhuc habuerunt: cf. Zarnekii disputationem 'der deutsche Cato' (ed. a. 1852) p. 170 sqq.

Iam vero ad propositum accedamus, cui hanc quaestiunculam praecipue inservire volui: ut inquiratur in cognationis rationem, quae inter librum Veronensem atque ceteros Claudiani codices intercedat, qui in vetustissimis et praestantissimis recensentur. Qui quidem sunt Vaticanus n. 2809 [V], Gyraldinus seu Lucensis [G], Ambrosianus M. 9 sup. [A]. Quamquam autem de Vaticano et Gyraldino data occasione etiam accuratius quam adhuc a me factum est agere licebit, nunc tamen huius quidem disputationis lectores ad ea relegare satis habeo quae dixi in Quaest. crit. p. 7 sqq. et 13 sqq. Et hoc quidem postremo loco quae olim scripsi, nunc non sine aliqua voluptate memoro plane confirmata esse, postquam contigit mihi ut excerpta Lucensia in Italia ipse conferrem et transcriberem. Aliter autem res se habet in Ambrosiano codice recte aestimando. Quae etsi Heinsius cum plurimis qui exstant codicibus emendando Claudiani adhibuit, tamen nusquam quidquam de eo rettulit, ut ante omnia ipsa codicis descriptione opus sit.

Est vero ille membranaceus formae octonariae, saeculo XIII exaratus¹⁾, constans duabus partibus plane inter se diversis eaque ob causam accuratissime discernendis. Prior pars continet maiora Claudiani carmina hoc ordine: libros in Rufinum, carmen de bello Gildonico, libros in Eutropium, Fescennina, epithalamium Honorii, carmina de III et IV Honorii consulatu, de Theodori consulatu, tres libros de laudibus Stilichonis (in his versus qui sunt I, 152 — II, 320 disturbatis fasciculis exciderunt), carmina de VI Honorii consulatu, de bello Getico, (in quo post versum 239 ei versus secuntur, qui in laudibus Stilichonis omissi erant). Hic prior codicis pars finitur. Subscriptum est: '*Explicit de titulis theodosiorum honori et stilicis. andreas scripsit cui prospera queque dies sit.*' Deinde dimidia pagina vacua relicta a novo fasciculo incipit altera libri pars eodem saeculo manaque priori simillima exarata. Qua in parte altera carmina hoc ordine, quem numeris Gesnerianis indicabo, leguntur, accuratissime illo quidem cum eo, qui codicis Vaticanani²⁾ proprius est, conveniente: XL, XXIX, XXXIX, LII, XLIV, XLVIII, XLIX, XLVII, LXXXIV, XXXVII, XCV, LI, LXXV, LXXVI, LXXXVIII, LXXXVII, LIII, tum versus ille '*nectareo mero dulces cinguntur arenae*', XLVI, LXX, LXXI, LV, LXXII, LXXXIII, XLI, XLII, epithalamium Laurentii, de Liberalibus, laus Martis, LVI, LVII, LVIII, LXII, LIX, LX, LXI, XXX, XXXI, XCIII, XCIV, LXXXIII, LXXX, XLIII, LXXXV, LXXXI, XLIV, LXXXVI, LXXVIII, LXXXVII, LXIX, XLV, XCH, XCI, LXXXIV, LXXIX, LXXXII, LXXXIX, XC, L.³⁾

1) Non recte hunc codicem Schoenius in Mus. Rhen. XXIV, p. 126 saeculo XII tribuit.

2) In Quaest. crit. p. 8 versus octavo numerus 'LXXXIII', qui tantum operarum errore irrepit, delendus est.

3) Secuntur nonnulla aliorum scriptorum scripta, quorum extrema particula iure tribuitur saeculo XII: unde error de totius codicis aetate (cf. adnot. 1) ortus esse videtur.

Hae codicis Ambrosiani partes priusquam in hoc unum volumen coniungerentur, duo erant libri omnino diversi, id quod imprimis ex eo apparet, quod alterius partis singulis fasciculi duodevni, prioris vero octonis tantum foliis compositi sunt.

Prior libri Ambrosiani pars omnino tribuenda est recentiori classi, e qua nihil proficit Claudiani emendatio (cf. Quaest. crit. p. 34 sqq., ubi hanc classem [Z] signavimus). Quod quidem statim praefatio demonstrat carmini de bello Gildonico praemissum, atque carminum series, quae plane eadem est atque in codice Helmstadiensis n. 499 eiusque affinis libris (cf. Quaest. crit. p. 10); idem autem docent ipsius scripturae discrepantiae, quae de re brevi tempore alibi agam accuratius. Aliter indicandum est de altera Ambrosiani codicis parte. Ad quam ea spectant, quae Luciani Muelleri de epithalamio Laurentii disputatione nisus (cf. l. c. p. 27), tunc quidem nondum satis accurata ceterarum codicis partium notitia instructus, de communi *V* et *A* codicum fonte dixi: ut hic opus non sit uberiore sententiae meae confirmatione.

Omitto nunc quinque illa carmina, quae in *V* et *A* solis exstant, epithalamium Laurentii, de Liberalibus, laudem Martis, de Iunonalibus¹⁾, de hippopotamo, de aquila (n. 742. 751. 749. 752. 748 apud Riesium): satis est codicis *V* descriptionem respicere, quam Quaest. crit. p. 8 dedimus, eamque comparare cum eis quae supra de *A* diximus. Plane enim patet carminum ordinem, quem ne simili quidem ratione in ceterorum codicum ullo inveneris, in *A* et *V* omnino fere eundem esse; nam tota, quae inter utrumque intercedit, differentia haec est, quod n. XL et XXIX in *V* alio loco atque in *A* leguntur, illo quidem interiecto. inter XLVI et LXX, hoc vero inter LXXXIII et XLI; deinde quod in *V* inter XLII et epith. Laur. interposita sunt maiora de Theodoro et in Eutropium carmina.

Iam vero *A* non potest descriptus esse ex *V*, quamquam ille duobus saeculis post *V* exaratus est: non tam propter leves istas quas modo tetigimus carminum ordinis mutationes (— talia enim librarii saepissime suo arbitratu instituerunt —), quam propterea quod carmina LXXX—L in *A* leguntur, a *V* plane absunt, neque quidquam in hoc codice excidisse constat ex eis quae l. s. s. exposuimus. Confirmatur hoc singulis quibusdam locis, sicut epith. Palladii v. 91, ubi *V* v. 91 et 92 sine lacuna omittit, cum *A* eosdem servet; item XLVIII, 20—21, de quibus versibus idem valet.

Qui libros *A* et *V* scripserunt, haud dubie ex uno eodemque fonte diversis temporibus hauserunt. Quod quidem praeter cetera probant lacunae, quas illi ex omnibus Claudiani codicibus suo offerunt. Sic XLVI, 10, ubi editiones uno versu breviores sunt optimis libris:

A factu confixa suo [lacuna]

Qui tetigere iacent.¹⁾ successu leta resurgunt;

item LI, 15—20, LXXVII, 5—6, 9—10, 13—14.

1) Hoc carme hunc referendum est, quamquam non legitur in *A*, cum in hoc codice lacuna per quattuor versuum spatium pertinens exstet, omnia vero carmina in *V* et *A* eundem ordinem teneant, ut supra accuratius persecutus sum. Apparet hinc, hūo tempore exemplar quod sequebatur suum librarium codicis *A* transcripsit, quaedam in illo iam non sat certo vel distincte legi potuisse.

2) Pro iacent *A* praebet nocent.

Accedit frequens singulorum vocabulorum iactura, quae *V* et *A* sine ullo lacunae spatio uno tenore tradunt: qualia in epithalamio Laurentii potissimum atque in carminibus de Liberalibus et de laude Martis unusquisque facili negotio ipse colligat e Riesii apparatu critico ad Anthologiam congesto. Quibus in carminibus si *A* plerumque plus omittit quam *V*, eo tamen vis illius argumenti non debilitatur: immo ita etiam magis illud probatur, quod de externa codicis, unde *A* derivatus sit, indole ut temporum iniuria paulatim depravata in transcurso iam diximus p. 50, 1.

Eandem codicum *V* et *A* artissimam cognationem confirmant discrepantes scripturae, quae pari prorsus in utroque libro ratione a scripturis codicum recentioris classis [*Z*] recedunt. Exemplo esto qui sequitur brevis scripturarum conspectus, in quo quae recentiorum codicum sunt praeposuimus.

Epith Pall. v. 10 Pennati passim] Passim pennati *VA*; v. 17 lucum] lucos; v. 18 Spectandi] Inspectant; v. 32 nullum] nullis; v. 40 lapse] flatu; v. 50 tantae] tandem; v. 55 primae] cuncte; v. 56 morantem] morari; v. 86 cuneosque receuset] constringit in unum; v. 87 constringit in unum] cuneosque receuset; v. 102 sumit velamina] reddit miracula.

Iam vero postquam quam brevissime demonstravimus ea, quae olim de cognatione codicum *V* et *A* diximus, re vera ad alteram codicis *A* partem totam pertinere neque ad solum, quod in ea legitur, epithalamium Laurentii, redeamus ad ipsum codicem Veronensem [Φ].

Ordinem carminum si conferimus cum ordine codicis *A*, qui a n. *XCH* usque ad *XC* in utroque codice plane idem est, apparet cognationem quandam inter Φ atque classem *A* et *V* codicibus repraesentatam intercedere. Attamen accuratius singulas codicis Φ scripturas respicientibus facile apparet multo artiore illum vineulo cum codice Gyraldino [*G*] quam cum *V* et *A* coniunctum esse, itaque illam carminum ordinis similitudinem pro tali tantum universae cognationis argumento habendam esse, quo demonstretur (quantavis in aliis rebus diversitas inter Φ et ceteros Claudiani codices intercedat) etiam Φ ad eundem librum archetypum referendum esse, unde omnes Claudiani codices fluxerunt. Quae quidem sententia multo certior eo fit, quod carmina n. *XCH*—*XC* recentior quoque classis [*Z*] eodem quo *A* et Φ ordine tradit. — Quam vero verum sit, quod de Φ et *G* diximus, luculenter demonstrabit scripturarum conspectus quem infra posui, ita quidem institutum ut praepositis scripturis codicum Φ et *G* subiiceremus quas *V* et *A* praebent.

XLVIII, 46 tristis Φ , tristes *G*] strictis *VA*; v. 47 solvit] mollit; v. *XLV*, 13 Alba subattract *G*, Albas ubi traxit Φ] Altera sutraxit (*sic*) *A*¹⁾; v. 28 furit] fuit; v. 31 iactus] tractus; v. 38 taurino viscere] taurinos mittere; *L*, 12 aere tremor Φ , ere tremor *G*] ore tremor; v. 27 superbae] supernae; *LI*, 5 nullis] longis; v. 9 longinqua] doctique; v. 13 currum] gressuum; *XXXIX*, 29 eadem] ea mox; v. 50 flecteris] frangeris; v. 54 et spoliis] egregiis; v. 55 saeviat] irruat; *LXXIV*, 6 relegam] laedam; v. 8 solito] iusto; v. 20 quodlibet] quicquid ab; *LXXVII*, 5—6 leguntur in Φ *G*] desunt in *VA*; v. 7 ferox]

1) Deest hoc carmen in *V*.

ferus; v. 9—10 *leguntur* in Φ *G*] *desunt* in *VA*; v. 11 vincant dolia fusa sitim] perpetuo dolia vina fluant (vini *A*); v. 13—14 *leguntur* in Φ *G*] *desunt* in *VA*; *XLI*; 19 moraturusque] solaturusque; *XLII*, 11 penitus] vates; *XLIV*, 22 super] simul; v. 56 iacit Φ , iacet *G*] tacet (in *A* corr. man. sec. iacet); v. 74 tendit] pergit; Gigant. v. 31 rescindite turres] restringite turbas; v. 89 viro toto] velut tuto; v. 91 petit] ferit.

Hinc cum plane eluceat dubium esse non posse, quin codices Φ et *G* simili modo atque *V* et *A* singularem classem constituent, quae quidem, ut in Quaest. crit. p. 20 sqq. demonstrasse videor, cum classe *VA* ad eundem librum archetypum revocanda sit, tamen quoniam diversitas quaedam inter singulos utriusque classis libros intercedit, iam ad alteram quaestionem pervenimus, utrius in duabus illis classibus codicia ad emendanda Claudiani verba potior esse auctoritas videatur.

Quod autem ad *VA* attinet, hanc quidem quaestionem ipsa codicum aetas facile decernit; nam cum *V* tribus saeculis vetustior sit libro Ambrosiano, per se patet hunc illo inferiori esse auctoritate neque a *V* nisi summa cogente necessitate esse discedendum. Ut uno verbo dicam, codex *A* in eis carminibus, quae etiam in *V* exstant, inter emendationis fontes tantum secundarium locum tenet.

Multo difficilius est de altera classe Φ *G* iudicare cum de codicis *G* dudum deperditi aetate omnino nihil constet, de plurimis autem scripturis tantus inter Φ et *G* intercedat consensus, ut multo subtilior quaestio oriatur. — Codicem *G* non esse descriptum ex Φ , olim fortasse pleniore quam hodie exstat et alia quoque Claudiani carmina continente, statim ex illius carminum ordine elucet, quem ex altera excerptorum Lucensium parte, quae codicis Lucensis seu Gyraldini descriptionem praebet (cf. Quaest. crit. p. 13 sqq.) cognoscimus, quique in universum cum ea carminum serie convenit, quam sequitur codex Helmstadiensis n. 499 (cf. supra p. 50). Neque vero altera ex parte Φ ex *G* derivari potest, cum nonnulla carmina, velut Lactantii Phocicem cum aliis, continent, quae in *G* non legantur.

Quae cum ita sint, si de utriusque codicis virtute recte iudicare volumus, nihil reliquum est, nisi ut summa cum diligentia singulis locis omnibus, quibus Φ a *V* discedit, collatis tanquam mathematicorum ratione scripturas numeremus, quibus alter codex alterum superet.

Atque primum sedecim loci in promptu sunt, quibus Φ verum praebeat, *G* vero ita corruptus sit, ut ne intellegi quidem quae exhibet possint: *XLVIII*, 38 Pronuba fit natura Φ] Pronuba frenatura *G*; *XLV*, 24 Et consanguineis] Et cum sanguineis; v. 36 capris] captis; *L*, 21 figuret] figeret; v. 15 erigit (corr. ex eregit)] egerit (exerit edd.) *XXXVII*, 108 ira] idam; v. 119 veneranda] venerande; *XXXIX*, 17 Darium] Et Darium; v. 23 sequitur] sequiturque; *XLII*, 9 prisci sententia vatis] socii s. v.; *XLIV*, 7 Haec] Nec; v. 36 iam brevis] iamque ubi; v. 59 odoratus taelis (= telis)] od. stellis; v. 90 centumpae immane] fultumque immane; *LXVIII*, 13 tonitru Salmoena miror] tonitru natura movemur; *LXXXIX*, 1 dirusque Cupido] rursusque Cupido.

Accedunt nonnulli loci, quibus Φ ad veram scripturam paulo propius quam *G* accedit. Sic *XLV*, 46 *sydona* Φ pro '*Cydonas*', cum *G* cum recentioribus libris *ciconas* prodatur. Idem cadit in *LXXXI*, 4. Hic enim Φ cum aliis scribit *sic me meus implet*

Apollo, cum in *G* legatur *smirneus implet Apollo*, id quod omni sententia caret neque quidquam aliud est nisi librarii aberratio ad carmen LXXXV, quod sequitur in *G* carmen LXXXI et sic inscribitur: DESCRIPTIO (sic) PORTVS SMYRNENSIS. At vero ne codicis Φ quidem scriptura *sic me meus implet Apollo* sententiae epigrammatis respondet, quae haec est: 'omnia, quae Apollo edicit, per se sunt carmina; idem mihi non contingit, sed ego carmina tantum edo, cum Apollo meus mihi hoc concedit.' Ergo decora modestia poeta deo artis poeticae sese opponit. Atqui cum legamus: *Carmina sola loquor: sic me meus implet Apollo*, ita quae evadit sententia, plane contraria ei est, quam poeta vult exprimere. Ergo interpunctione post *loquor* in virgulam mutata haud dubie pro *sic* scribendum est *si*, qua lenissima mutatione ea ipsa, quam modo desideravimus, sententia existit.

Neque desunt loci, quibus quamquam *G* non caret sententia, Φ tamen propterea praeferendus est, quod scripturam elegantiorum pauloque magis conexus sententiarum accommodatam quam alter codex, praebet: velut LXXVII, 3, ubi *defendat*, quod in Φ legitur, praefereendum est prae *sustentet*, quod *G* exhibet cum recentioribus; nec minus XLVI, 19, cuius versus sententiae *vincitura* (Φ) melius respondet quam quod nunc in editionibus legitur *tentura* (*G*). Ad quem locum hoc quoque tamquam in transeursu commemoro, *absentem* participium, quod legitur initio versus 19, nullam habere offensionem, id quod sibi finxit Burmannus, non perspicuus ille quomodo piscator hamum tenens dici posset *absens* a flumine, cui adstaret piscandi causa. Negari quidem non potest Claudiani elocutionem hic paulo inusitatiorum esse, ut quispiam respiciens Horatii locum (A. P. v. 352) *si longius abstes* facile coniciat scribendum esse *abstantem* pro *absentem*; nam quod Burmannus profert, *adstantem* plane esse contrarium sententiae quae hic desideretur, sua sponte apparet, cum de torpedinis vi hostem quam longissime remotum arripiente agi nemo, qui idyllium illud perlegerit, non videat. At vero Burmannus loquendi usum Claudiani non satis cognitum habuit; nam *absesse* verbum eodem prorsus, quo hoc loco, sensu poeta etiam in alio carmine posuit: LI, 9 *Absentis longinqua valent praecepta magistri*.

Sed tamen negari non potest etiam in Φ locos corruptos exstare, quos *G* servavit integros. Sic XXXVII, 61 in Φ haec leguntur, plane ea corrupta: *bis aetheris terra (sic) dedit*, cum *G* multo melius tradat *bis ether bis terra dedit* (editiones cum recentioribus codd. habent *his pro bis*). L, 25 scribitur in Φ librario ad ea quae secuntur aberrante: *et nova disparibus paribus discrimina pro et nova germanis paribus discrimina*, quae in *G* integra exstant. In XXXIX exitum versus 37 Φ ex aberratione ad vocabulum *quatit*, quod praecedat, sic scriptum exhibet *rhodopaeque (a superser. m. rec.) culmina quassat* pro vera, quam *G* praebet scriptura *rhodopeia culmina lassat*. In eodem carmine codex Φ omittit v. 54, quem *G* habet, nisi quod is *et spoliis pro egyptiis*, quod in editis legitur, scribit et *opinis* pro *opimis*. XLI, 13 in Φ legitur *iam det* pro *condet*; ibid. v. 16 Φ omittit *se* pronomen: quo utroque loco *G* veram scripturam servavit. Ad haec denique gravissimum illud accedit, quod iam tetigi in Quaest. crit. p. 26 sqq.: in lacunosum enim loco carm. XLVI, 10 Φ non plus praebet quam Vaticanus codex (*V*) et Ambrosianus (*A*):

Attactu confixa suo

Qui tetigere iacent successu laeta resurgit,

cum *G* lacunam prioris versus suppleat *immobilis haeret* verbis, quae quamquam sententiarum conexum non restitunt integrum, tamen antiqua esse et revera ex Claudiani stilo profecta l. s. s. ex Oppiani Halienticis II, 58 (κείτρα δ' ἀκτεμάρφης) intelleximus, ut quem locum hoc in carmine ita imitatus sit latinus poeta, ut nonnulla in suum sermonem verbo tenus converteret.

Haec igitur omnia ubi accurate perpenderit, tamquam quadam necessitate eo pervenimus, ut Φ et *G* codicibus auctoritatem plane parem esse concedendam intellegamus. Sunt quidem tales loci, quibus Φ meliorem esse codicem *G* apparent, aliquanto plures eis, quibus e contraria parte *G* codicem Φ superat; neque tamen, cum hi omnes talium errorum, qualibus ne optimi quidem librarii carent speciem prae se ferant, eam illi vim habent, ut codex *G* credendus sit in codicum ms. familia universa uno tanquam gradu inferior quam Φ esse. Accedit, quod ex scripturarum conspectu, quem supra proponimus, etiam hoc alterum satis plane intellegitur, codicem *G* nonnulla continere, quae in eo omnino non legerentur, nisi ille ex libro ms. fluxisset, cuius eadem aetas eademque auctoritas atque codicis Φ esset. Ergo in emendandis Claudiani carminibus, si qua nobis illorum codicum discrepantia offertur, uterque iuxta audiendus est in eoque elaborandum, ut ex utriusque coniuncta interque se diligenter comparata peusitataque memoria pristina scriptura reconcinnetur.

Iam vero ut ad finem totius quaestionis nostrae perveniamus, hoc restat explorandum: quae inter duas illas codicum stirpes ratio intercedat, quarum altera *V* et *A*, altera Φ et *G* codicibus representatur, quoque modo ad Claudiani emendationem adhibendae sint. Ut nunc taceam de aetate codicis Φ duobus circiter saeculis libro *V* vetustioris, cuius rei notitia, cum 'Quaestiones criticae ad emendationem Claudiani panegyricorum spectantes' scribebam anno 1869, nondum mihi in promptu fuit, etiam ex scripturarum conspectu illo, quem supra (p. 51) proposui, facile idem elucet, quod iam l. s. s. statuebam: codicem *G* sive, ut iam dicere licet, *G* et Φ ab archetypo propius quam *V* et *A* abesse. Ergo sicubi aliquid habet Φ vel *G* quod defendi possit, hoc relinqui non licet, nisi in certas artis criticae leges peccare velimus.

Caput II

quo a rerum alihue tractatarum inevitabili exilitate ad novam eamque aliquanto floridioris disputationem transitori eramus, cum propter temporis angustias, quamquam chartis integrum mandatum, iam non posset etiam typis exscribi, decrevimus illud propediem in Museo phil. Rhenano cum eis, quibus hoc litterarum genus enae est, communicare. Versabitur id autem in quaestione non infructuosa ut putamus: ut, qua aetate dispersa Claudiani carmina in unum corpus esse collecta videantur, investigetur probabiliterque definatur.